



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulvm XXII. Super eo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

universim, quæ omnes aliæ Ecclesiarum Episcopalia jura debent, aut juris sunt Episcopalis; cum ab eo talis facta remissio nihil communibus jurebus Episcopalis præjudicet, sed remissa tantum censetur ea servitias, quæ ex speciali obligatione talis Ecclesia debet, aut quæ de novo imponuntur, nisi exemptio major habeatur, cum autoritate Summi Pontificis exemptis, vel exemptionem confirmantis, *cap. constitut. 6. de religiosis domibus, vel sententiâ pro sua exemptione habeat Ecclesia, quæ eam præterdit, contra quam non appellavit Episcopus cap. cum inter 13. de re judicata, aut contra Episcopum jura Episcopalia legitime præscripsisset, cap. cum olim 18. de præscript.*

CAPITVLVM XXII.

Super eo.

PARAPHRASIS.

Dubitabat Archiepiscopus Compostellanus, cum tota Provincia Castellana ad jurisdictionem suæ Ecclesiæ accessisset, quomodo se gerere visitans illam deberet, in exigenda procuratione, & de hoc dubio Pontificem consulebat: qui eidem respondit, attendendam esse ad vicinarum Provinciarum consuetudinem, si certa non sit loci talis consuetudo, quæ omnino observari debeat.

SUMMARIUM.

Si nulla quantitatis procurationum in loco sit consuetudo, ex vicinarum Ecclesiarum consuetudine hoc desumendum.

NOtandum. Statutum quidem esse de jure communi, quod visitanti Episcopo vel Archiepiscopo &c. debeantur procurationes; nihil autem definitum esse, in qua quantitate præstandæ illæ sint, ut advertit etiam *Gloss. in cap. cum olim 19. v. quarta omnium h. r.* Et hinc, si consuetudo loci illius certa non sit, circa quantitatem talem vici-

narum Ecclesiarum consuetudo observanda erit: quæ regula ex auctoritate mente semper in talibus materijs, quæ à consuetudine dependent, observari debet; ut si scilicet in tali materia, propria loci, aut civitatis aliqujus consuetudo non est, vicinorum locorum consuetudo sit observanda *cap. cum olim 6. de consuetud.* nisi consuetudo sit valde onerosa, ut bene advertit Abbas, neque enim talia onerosa extendenda sunt, præsertim, si ex negligentia unius loci proveniant, quæ alteri obesse non debet.

CAPITULUM XXIII.

Procuraciones.

PARAPHRASIS.

In Concilio Generali Lateran. sub Alexand. III. Pontifice statutum fuit, non tantum ut Episcopis & Archiepiscopis, ac alijs inferioribus, ex causa visitationis procuraciones (moderate scilicet, & juxta receptam consuetudinem, ut supra jam dictum) præberentur, sed Legatis etiam Sedis Apostolicæ, aut Nuntijs, si à summa Sede ad diversas Provincias mitterentur, procuraciones præstarentur, si per locum aliquem transirent: in tamen, ut si moram longiorem in loco aliquo trahere cogantur, plures etiam Ecclesiæ concurrere debeant, ad procuraciones has expediendas, ne una Ecclesia aut altera Ecclesia nimium gravetur.

SUMMARIUM.

Legatis suis hodie ipse Pontifex de necessarijs ad iter providet.

NOtandum. Prudenter quidem statutum esse in reverentiam Sedis Apostolicæ, ut procuraciones ejus Sedis Legatis, qui locum aliquem transiterent, etiam si necessitates præstentur; ob multas tamen difficultates sanctius hodie observari, ut Legatis talibus ab ipsa summa Sede, de necessarijs sumptibus ad iter faciendum providentur.